



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**CONCILIO||RVM QVATVOR GENE=||ralium. Niceni.  
Constantinopolitani. Ephesini. et Calce=||donensis. Que  
diuus Gregorius magnus tanq[uam]|| quatuor Euangelia  
colit ac veneratur.||**

**Merlin, Jacques**

**Coloniae, 1530**

**VD16 M 4842**

Concilium Elibertinum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72934)

## Concilium Aurelianense.

- S XXI** ¶ Ut nulli ciuim paschæ natalis domini, vel quadragesimæ solemnia in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas ꝑbabitur tenuisse.
- T XXII** ¶ Cum ad celebrandas missas in dei nomine conuenitur populus non ante discedat quàm missæ solemnitas compleatur, & ubi episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.
- V XXIII** ¶ Rogationes, id est, lætanas ante Ascensionem domini placuit celebrari ita ut præmissum triduanum ieiunium in dominicæ passionis solemnitate soluatur, per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.
- X XXIII** ¶ Clerici vero qui ad opus sanctum adesse contempserint secundum arbitrium episcopi Ecclesiasticam suscipiant disciplinam.
- X XXV** ¶ De familiaritate extraneorum mulierum tã Episcopi quàm presbyteri, vel diaconi præteritorum Canonum statuta custodiant.
- Y XXVI** ¶ Si quis clericus, monachus, vel secularis diuinationem vel auguria crediderit obseruanda, vel sortes quas mentiuntur esse sanctorum quibuscunque putauerint intimandas, cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.
- Z XXVII** ¶ Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ cui proximus fuerit, die dominico deesse non debet, similiter & alij qui mecum scripserunt, numero triginta & tres.

HVCVSQVE CONCILIA GALLIAE.

## SEQVVTVR CONCILIA HISPANIAE.

### Incipiunt capitula Concilij Elibertini.

- |  |   |
|--|---|
| <p>¶ De his qui post baptismum idolis sacrificant, 1</p> <p>¶ De sacerdotibus Gentium qui post baptismum immolauerunt 2</p> <p>¶ De eisdem si idolis tantum munus dederint, 3</p> <p>¶ De eisdem si cathecumini adhuc immolant quando baptizabuntur. 4</p> <p>¶ Si domina per zelum ancillam occiderit 5</p> <p>¶ Si quicumque per militiam hominem interfecerit 6</p> <p>¶ De penitentibus mœchiæ si fecerit rursus peccauerint. 7</p> <p>¶ De foeminis qui adulteros maritos relinquunt, &amp; alij nubunt 8 (bunt 9)</p> <p>¶ De foeminis quæ relictiis viris suis, alij nubunt 9</p> <p>¶ De relicta cathecumini si alterum duxerit, 10</p> <p>¶ De relicta cathecumina si grauitæ ægrotauerit. 11</p> <p>¶ De mulieribus quæ lenocinium fecerint 12</p> <p>¶ De virginibus deo sacratis si adulterauerint, 13</p> <p>¶ De virginibus secularibus si mœchatæ sint 14</p> <p>¶ De Coniugio eorum qui ex Gentilitate veniunt 15</p> <p>¶ De puellis fidelibus, ne infidelibus coniungantur 16</p> <p>¶ De eis qui filias sacerdotibus Gentilibus coniungunt 17</p> <p>¶ De sacerdotibus &amp; ministris si mœchati fuerint, 18</p> <p>¶ De clericis negotia vñ nundinas sectatibus 19</p> <p>¶ De clericis &amp; laicis vsurarijs, 20</p> <p>¶ De his qui tardius ad Ecclesiã accedunt, 21</p> <p>¶ De Catholicis in hæresim transeuntibus, si non reuertuntur 22</p> <p>¶ De temporibus ieiuniorum, 23</p> <p>¶ De his qui peregre baptizantur, vt ad</p> | <p>Clerum non veniant 24</p> <p>¶ De epistolis communicatorijs cõfessio, 25</p> <p>¶ De hoc vt omni sabbato ieiunetur, 26</p> <p>¶ De clericis vt extraneam mulierem in domo non habeant 27</p> <p>¶ De oblationibus eorum qui non cõcant 28</p> <p>¶ De Inerguminis qualiter habeantur 29</p> <p>¶ De his qui post lauachrum mœchati fuerint, vt nec subdiacones fiant 30</p> <p>¶ De adolescentibus qui post lauachrum mœchati sunt 31</p> <p>¶ De excommunicatis presbyteris, vt in necessitate communionem dent 32</p> <p>¶ De Episcopis &amp; ministris, vt ab vxoribus abstineant 33</p> <p>¶ Ne ceteri in cemiterijs incendantur. 34</p> <p>¶ Ne ceteri in cemiterijs peruigilent 35</p> <p>¶ Ne picturæ in Ecclesiæ fiant. 36</p> <p>¶ De inerguminis baptizandis 37</p> <p>¶ Vt in necessitate, &amp; fideles baptizentur 38</p> <p>¶ Ne de hoc quod idololatratum est, fideles accipiant 39</p> <p>¶ Vt prohibeant domini idola colere seruis 40</p> <p>¶ De his qui ad fidem veniunt, quomodo baptizentur 41</p> <p>¶ De celebratione Penthecostes 42</p> <p>¶ De meretricibus paganis si conuertuntur. 43</p> <p>¶ De cathecumini qui Ecclesiam non frequentant 44</p> <p>¶ De fidelibus si apostatauerint quàm diu peniteant 45</p> <p>¶ De eo qui vxorem habet, si sæpius mœchatur, 46</p> <p style="text-align: right;">¶ De bapti</p> |
|--|---|

De baptizandis vt nihil accipiant clerici, 47	necant, 62
De frugibus fidelium, ne à Iudæis benedicantur, 48	De fœminis quæ vsque ad mortem cum aliis viris adulterantur, 63
De Christianis qui cum Iudæis vescunt, 49	De adulteris vxoribus Clericorum 64
De hæreticis vt ad clerum non promouentur 50	De his qui priuignas suas ducunt, 65
De his qui in Ecclesia libellos famosos ponunt, 51	De coniugio cathecuminæ fœminæ, 66
De Episcopis qui excommunicato alieno communicant 52	De cathecumina adultera quæ filium necat, 67
De parentibus qui fidem sponsaliorum frangunt 53	De viris coniugatis postea in adulterium lapsis 68
De Sacerdotibus Gentilium qui iam non sacrificant 54	De fœminis quæ conscijs maritis adulterantur 69
De magistratibus & dominantibus 55	De stupratoribus puerorum 70
De his qui vestimenta ad ornandam pompam dederint 56	De viduis mœchis si eundem postea maritum duxerint 71
De his qui communicatorias literas portant 57	De Delatoribus 72
De fidelibus ne ad Capitolium causa sacrificandi ascendant 58	De falsis testibus 73
De his qui destruentes idola, occidunt 59	De his qui sacerdotes accusant, nec probant 74
De his qui duabus fororibus concupulantur 60	De diaconibus si ante honorem peccasse probentur 75
De auguribus & pantomimis si conuertantur 61	De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur 76
De vxoribus quæ filios de adulteris	De fidelibus coniugatis si cum Iudæa vel Gentili mœchati sint 77
	De his qui tabula ludunt 78
	De Libertis 79
	De fœminarum epistolis 80

**Incipit Concilium Elibertinum de rebus nouem**

Episcoporum tempore Constantini.

**VM CONVENISSENT SANCTIA**



& religiosi episcopi in Ecclesia Elibertina, hoc est, Felix episcopus Aquitanus, Conscijs ep̄s Cordubensis, Sauinus ep̄s Spalensis, Camerinus episcopus Tacitanus, Sinagius episcopus Pegrensis, Secundinus episcopus Catalensis, Pardijs episcopus Mētasanus, Flavianus episcopus Elibertinus, Catonus episcopus Corsitanus, Liberius episcopus Emeritanus, Valerius episcopus Cæsaraugustanus, Decentius episcopus Legionensis, Melantius episcopus Toleranus, Ianuarius episcopus de Siblaria, Vincētius episcopus Ossolobensis, Quintianus episcopus Elborensis, Successus episcopus de Elicroca, Euticianus episcopus Bastitanus, Patricius episcopus Malacitanus, residentibus etiam trigintasep̄teris absentibus diaconibus, & omni plebe, vniuersi episcopi dixerunt.

**Capitulum Primum.**

**I** Placuit vt quicumq; post fidem baptismi salutaris, adulta ætate ad templum idoli idololatra B turus accefferit, & fecerit quod est crimen, nec in finem eum ad communionem suscipere.

**II** Flamines qui post fidem lauachri & regenerationis sacrificauerint, eo quod gemina C uerint scelera accedente homicidio, vel triplicauerint facinus cohærente mœchia, placuit eos nec in finem accipere communionem.

**III** Item Flamines qui non immolauerunt, sed munus tantum dederunt, eo quod se à fu D nestis abstinerunt sacrificijs, placuit in finem eis præstare communionem, acta tamen legitima pœnitentia. Item ipsi si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit vltierius eis non esse dandam communionem, ne luisse de dominica communionem videantur.

**III** Item Flamines si fuerint cathecumini, & se à sacrificijs abstinerunt, post triennij tem E pora placuit ad baptismum admitti debere.

**V** Si qua fœmina furore zeli accensa, flagellis verberauerit ancillam suam, ita vt intra ter F tium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit, voluntate, an casu occiderit, si voluntate, post septem annos, si casu, p̄ quinq; annos tpa, acta legitima pœnitentia, ad com munionē placuit admitti, quod si intra tpa constituta fuerit infirmata, accipiat communionē.

**¶ Si quis**

## Concilium Elibertinum.

- G VI** ¶ Si quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in finem impartendam esse illi communionem.
- H VII** ¶ Si quis forte fidelis post lapsum in cœchiâ post tempora constituta acta pœnitentia denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in finem habere communionem.
- I VIII** ¶ Item fœminæ quæ nulla præcedente causa reliquerunt viros suos, & alteris se copulauerunt, nec in finem accipiant communionem.
- K IX** ¶ Item fidelis fœmina quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat, si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quàm is quem reliquerit de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.
- L X** ¶ Si ea quæ cathecumini relinquit, duxerit maritum, sicut ad fontem lauacri admitti, hoc & circa fœminas cathecuminas erit obseruandum. Quod si fuerit, quæ ducitur ab eo qui vxorem inculpata relinquit, & cum scierit illum ab vxore quam sine causa relinquit, placuit huiusmodi in finem dare communionem.
- M XI** ¶ Intra quinquennij autem tempora cathecumina si grauitur fuerit infirmata addendum ei baptismum placuit non denegari.
- N XII** ¶ Pater vel parens vel quælibet fidelis si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus vel potius suum, placuit eam nec in finem accipere communionem.
- O XIII** ¶ Virgines quæ se deo dedicauerunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eadem libidini seruiuerint, non intelligentes quod amiserint, placuit nec in fine dandam esse communionem, quod si semetipsas pœnituerint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, etiam tempore vitæ suæ huiusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstinerint se à coitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.
- P XIII** ¶ Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violauerunt duxerint & tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violauerint, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt, vel si alios cognouerint viros, eo quod mœchatae sint, placuit per quinquennij tempora acta legitima pœnitentia admitti eas ad communionem.
- Q XV** ¶ Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt virgines Christianæ, ne aetas in flore tumens, in adulterio resoluatur animæ.
- R XVI** ¶ Hæreticis qui errant ab Ecclesia Catholica nec ipsis Catholicis dandas puellas, sed neque Iudæis, neque hæreticis dare placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint, parentes abstinere per quinquennium placet.
- S XVII** ¶ Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit nec in finem eis dandam communionem.
- T XVIII** ¶ Episcopi, presbyteri, diacones, si in ministerio positi, detecti fuerint, quod sint mœchati, placuit, & propter scandalum, & propter nefandum crimen, nec in finem eos communionem accipere debere.
- V XIX** ¶ Episcopi, presbyteri, & diaconi, de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes prouincias questuosas nundinas sectentur. Sanè ad victum sibi conquirendum aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant, & si voluerint negotiari, intra prouinciam negotientur.
- X XX** ¶ Si quis Clericorum deditus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstinere. Si quis etiam laicus accepisse probatur vsuras, & promiserit correptus iam cessaturum, nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate durauerit, ab Ecclesia sciat se esse prosciendum.
- Y XXI** ¶ Si quis in ciuitate positus, tres dominicas Ecclesiam non acceperit, pauco tempore abstineatur, vt correptus esse videatur.
- Z XXII** ¶ Si quis de Catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque ad Ecclesiam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quod cognouerit peccatum suum, qui etiam decem annis agat pœnitentiam, cui post decem annos præstari communitio debet. Si vero infantes fuerint transducti quod non suo vitio peccauerint, incunctanter recipi debeant.
- A XXIII** ¶ Ieiunij super abstinentias per singulos menses placuit celebrari exceptis diebus duorum mensium Iulij & Augusti ob eorundem infirmitatem.
- B XXIII** ¶ Omnes qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promouendos in alienis prouincijs.
- C XXV** ¶ Omnis qui attulerit literas confessorias sublato nomine confessoris, eo quod sub hac nominis gloria partim concutiant simplices, communicatoræ ei dandæ sunt literæ.
- D XXVI** ¶ Error placuit corrigi, vt omni sabbati die ieiunium super positionem celebremus. ¶ Epus.

- XXVII ¶ Episcopus vel quilibet clericus alius, aut fororem, aut filiam virginem dicatam deo tantum secum habeat, extraneam vero nequaquam secum habeat. **A**
- XXVIII ¶ Episcopus placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere. **B**
- XXIX ¶ Energuminum qui ab erratico spiritu exagitur, huius nomen neq; ad altare cum oblatione esse recitandum, neq; permittendum vt sua manu in Ecclesia ministret. **C**
- XXX ¶ Subdiaconē eum ordinari non debere qui in adolescētia sua fuerit mœchatus, eo quod postmodum per subscriptionem ad altiore gradum non sit promouendus, si autem aliqui sunt in præteritum ordinati, amoueantur. **D**
- XXXI ¶ Adolescentes qui post fidem lauacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint uxores acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti debere. **E**
- XXXII ¶ Si quis graui lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere sine Episcopi consultu, sed potius apud Episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non est presbyterorum, diaconorum, communionem talibus præstare debere, nisi eis iusserit Episcopus. **F**
- XXXIII ¶ Placuit in totum prohibere Episcopis, presbyteris, diaconibus, ac subdiaconibus positus in ministerio abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicumq; fecerit, ab honore clericatus exterminetur. **G**
- XXXIII ¶ Cereos per diem placuit in cimiterio non incendi, inquietandi enim sanctoꝝ spiritus non sunt. Qui hæc non obseruauerint, arceantur ab Ecclesiæ communionem. **H**
- XXXV ¶ Placuit prohiberi ne fœminæ in cimiterio peruigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant. **I**
- XXXVI ¶ Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur. **I**
- XXXVII ¶ Eos qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti baptizari placet. Si vero fideles fuerint dandam eis esse communionem. Prohibendum etiam ne lucernas publice accendant, si facere contra interdictum voluerint, abstineant à communionem. **k**
- XXXVIII ¶ Peregre nauigantes aut si Ecclesia in proximo non fuerit posse fidelem qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum cathecuminum, ita vt si superuixerit ad Episcopum eum perducatur, vt per manus impositionem perfici possit. **L**
- XXXIX ¶ Gentiles si in infirmitate desiderauerint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos. **M**
- XL ¶ Placuit prohiberi, vt cum rationes suas accipiunt possessores, quicquid ad idolum datum fuerit, acceptum non inferant, Si vero post interdictum fecerint, per quinquennij spatia temporis à communionem esse arcendos. **N**
- XLI ¶ Admonere placuit fideles, vt quantum possunt, prohibeant, ne idola in domibus suis habeant. Si vero vim metuunt seruatorum, vel seipos puros conferuent. Si non fecerint alieni ab Ecclesia habeantur. **O**
- XLII ¶ Eos qui ad primam credulitatis fidem accedunt (si bonæ fuerint conuersationis) intra biennium temporis placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio vel socio subuenire periclitanti, vel gratiam postulanti. **P**
- XLIII ¶ Pravam institutionem emendari placuit iuxta auctoritatem scripturarum, vt cuncti diem Pentecostes celebremus, quod qui non fecerit, quasi nouam hæresim induxisse notetur. **Q**
- XLIII ¶ Meretrix quæ aliquando fuerit, & post ea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam. **R**
- XLV ¶ Qui aliquando fuerit cathecuminus per infinita tempora, & nunquam ad Ecclesiam accesserit. Si eum de clero quisquam agnouerit voluisse esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit baptismum ei non negari, eo quod in vetere homine deliquisset. **S**
- XLVI ¶ Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad Ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reuersus, nec fuerit idololatra, post decem annos placuit eum communionem accipere. **T**
- XLVII ¶ Si quis fidelis habens uxorem, non semel sed sæpe fuerit mœchatus, in finem mortis est conueniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio, si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non edere eum de communionem pacis. **V**
- XLVIII ¶ Emendare placuit, vt hi qui baptizantur (vt fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne sacerdos quod gratis accepit, precio distrahere videatur, neq; pedes eorum lauandi sunt à sacerdotibus vel clericis. **X**

¶ Admo-

## Concilium Elibertinum.

- X XLIX** ¶ Admonere placuit possessores vt non patiantur fructus suos quos à deo percipiunt, cum gratiarum actione à Iudæis benedici, ne nostram & infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere vsurpauerit penitus ab Ecclesia abijciatur.
- Z L** ¶ Si vero aliquis clericus siue fidelis fuerit, qui cum Iudæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstinere, vt debeat emendari.
- A LI** ¶ Ex omni hæresi qui ad nos fidelis venerit minime est ad clerum promouendus, vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur.
- B LII** ¶ Si qui inuenti fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere anathematizentur.
- C LIII** ¶ Placuit cunctis, vt ab eo Episcopo quis recipiat communionem, à quo absentus in crimine aliquo fuerit. Quod si aliquis Episcopus præsumpserit eum admittere illo adhuc minime sciante vel consentiente à quo fuerat communione priuatus, sciat se huiusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstaturum.
- D LIIII** ¶ Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum triennij tempore, abstineant se à communione. Si tamen ipsi sponsum vel sponsam in graui crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. Si vero in eodem vitio, & polluerint se consentiendo, superior sententia seruetur.
- E LV** ¶ Sacerdotes qui tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit post biennium accipere communionem.
- F LVI** ¶ Magistratum vero anno quo agit duumviratum prohibere placet, vt se ab Ecclesia cohibeat.
- G LVII** ¶ Matronæ vel earum mariti vestimenta sua ad ornandam seculariter pompam non dent, & si fecerint triennij tempore abstineant.
- H LVIII** ¶ Placuit vbicumque & maxime in eo loco in quo primæ cathedræ constitutus est Episcopus vt interrogentur hi qui communicatorias literas tradunt, an omnia recta habeant & suo testimonio comprobent.
- I LIX** ¶ Prohibendum ne quis Christianus, aut Gentilis ad Idolum Capitolij sacrificandi causa ascendat & videat. Quod si fecerit pari crimine teneatur, si fuerit fidelis post decem annos acta pœnitentia recipiatur.
- K LX** ¶ Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Euangelio non est scriptum, neque inuenitur ab Apostolis vnquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.
- L LXI** ¶ Si quis post obitum vxoris suæ sororem eius duxerit, & ipsa sit fidelis quinquennio à communione placuit abstinere, nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.
- M LXII** ¶ Si augur aut pantominus credere voluerint, placuit vt prius artibus suis renuntient & tunc demum suscipiantur, ita vt vltorius non reuertantur. Quod si facere contra interdictum tentauerint, proijciantur ab Ecclesia.
- N LXIII** ¶ Si qua mulier per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit ei nec in finem dandam esse communionem, eo quod geminauerit scelus.
- O LXIIII** ¶ Si qua mulier vsque in finem mortis suæ cum alieno fuerit viro mœchata, placuit nec in finem dandam esse communionem, Si vero eum reliquerit post decem annos recipi ad communionem acta legitima pœnitentia.
- P LXV** ¶ Si cuius clerici vxor fuerit mœchata, & sciat eam maritus suus mœchari, & eam non statim proiecerit, nec in finem accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonæ conuersationis esse debent videantur magisteria scelerum procedere.
- Q LXVI** ¶ Si quis priuignam suam duxerit vxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in finem dandam esse communionem.
- R LXVII** ¶ Prohibendum ne qua fidelis vel cathecumina, aut comicos, aut viros scenicos habeat, quæcunque hoc fecerit à communione arceatur.
- S LXVIII** ¶ Cathecumina si per adulterium conceperit, & conceptum necauerit, placuit eam in fine baptizari.
- T LXIX** ¶ Si quis forte habens vxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennio agere debere pœnitentiam, & sic reconciliari, nisi necessitatis coegerit ante tempus dare communionem, hoc & circa sceminas obseruandum.
- V LXX** ¶ Si conscio marito fuerit mœchata vxor, placuit nec in finem dandam ei communionem. Si vero eam reliquerit post decem annos accipiat communionem, si eam cum scierit adulteram aliquo tempore in domo sua retinuit.

¶ *Supra*

- LXXI. ¶ Stupratoribus puerorum nec in finem dandam esse communionem. A
- LXXII. ¶ Si qua vidua fuerit mœchata, & eundem postea habuerit maritum, post quin- B  
quennij tempus acta legitima pœnitentia, placuit eam communionem reconciliari. Si alium du-  
xerit, relicto illo, nec in finem dandam esse communionem, vel si fuerit ille fidelis quem acce-  
perit, communionem non accipiat, nisi post decem annos acta legitima pœnitentia, nisi in-  
firmitas coegerit, velocius dare communionem.
- LXXIII. ¶ Delator si quis extiterit fidelis, & per dationem eius aliquis fuerit proscriptus, C  
vel interfectus, placuit eum nec in finem accipere communionem. Si leuior causa fuerit, in-  
tra quinquennium accipere poterit communionem. Si cathecuminus fuerit, post quinquen-  
nij tempora admittatur ab baptismum.
- LXXIII. ¶ Falsus testis prout crimen est, abstinebit, si tamen non fuerit mortis quod ob- D  
iecit, & si probauerit quod diu tacuerit, biennij tempore abstinebit, Si autem non probauerit  
in conuentu clericorum, placuit per quinquennium abstinere.
- LXXV. ¶ Si quis autem episcopum, presbyterum, vel diaconem falsis criminibus appetie E  
rit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.
- LXXVI. ¶ Si quis diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus F  
mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima pœ-  
nitentia post triennium accipere communionem. Quod si alius detexerit, post quinquennium  
acta pœnitentia accipere communionem laicam debere.
- LXXVII. ¶ Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos bap- G  
tizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit, q̄ si ante de seculo recesserit, sub  
fide qua quis crediderit, poterit esse iustus.
- LXXVIII. ¶ Si quis fidelis habens vxorem, cum Iudæa vel gentili fuerit mœchatus, à cõ- H  
munionem arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta legitima pœnitentia  
poterit dominicæ sociari communioni.
- LXXIX. ¶ Si quis fidelis, alea, id est tabula, luserit, placuit eum abstinere, & si emendatus I  
cessauerit, post annum poterit cõmunionem reconciliari.
- LXXX. ¶ Prohibendum vt liberti, quorum patroni in seculo fuerint, ad clerum non K  
prouehantur.
- LXXXI. ¶ Ne fœminæ suo potius absq; maritorum nominibus laicis scribere audeant qui L  
fideles sunt, vel literas alicuius pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant.

¶ Explicit Concilium Elibertinum.

## Incipiunt capitula concilij Tarraconensis.

- |   |  |
|---|--|
| <ul style="list-style-type: none"> <li>¶ Vt etiam ad proximas sanguinis cū testi- <span style="float: right;">1</span><br/>monio clerici vadant. <span style="float: right;">Cap. 1.</span></li> <li>¶ Vt clericis emendi vilis, vel vendendi ca- <span style="float: right;">2</span><br/>rius non permittatur licentia.</li> <li>¶ Vt q̄tū clericus p̄stiterit, tm̄ recipiat. <span style="float: right;">3</span></li> <li>¶ Vt nullus episcopus vel infra positus die do- <span style="float: right;">4</span><br/>minica causas iudicare p̄sumat.</li> <li>¶ Vt q̄ in metropolitana ciuitate eps nō fue- <span style="float: right;">5</span><br/>rit ordinatus, post duos menses se metro-<br/>politano p̄senteret.</li> <li>¶ Vt eps q̄ à metropolitano cõmonitus ad sy- <span style="float: right;">6</span><br/>nodū nō venerit, excõicetur.</li> <li>¶ Vt diocœsani clerici septimanas teneant, &amp; <span style="float: right;">7</span><br/>die sabbato omnes in vnum conueniant.</li> <li>¶ Vt annis singulis episcopi diocœsim visi- <span style="float: right;">8</span></li> </ul> | <ul style="list-style-type: none"> <li>tent, &amp; non plus q̄ tertiam partem de par- <span style="float: right;">9</span><br/>rochijs accipiant.</li> <li>¶ De clericis &amp; hostiarijs, q̄ adulteris mulieri- <span style="float: right;">10</span><br/>bus admiscantur, vt prohibeantur.</li> <li>¶ Vt nullus episcopus pro iudicijs munera <span style="float: right;">11</span><br/>accipiat.</li> <li>¶ Vt monachus missus alicubi ministeriū cle- <span style="float: right;">12</span><br/>ricatus agere nō p̄sumat, nec negotiator<br/>existat.</li> <li>¶ Vt si episcopus intestatus obierit, inuētari- <span style="float: right;">13</span><br/>um de rebus eius clerici faciant, &amp; nullus<br/>exinde aliquid auferat.</li> <li>¶ Vt episcopus diocœsanos presbyteros, <span style="float: right;">14</span><br/>&amp; quosdam ex laicis moneat literis con-<br/>uenire. <span style="float: right;">15</span></li> </ul> |
|---|--|

## Incipit Concilium Tarraconense.

Decem episcoporum, Era. XLIII.



**M**N nomine Christi habita synodus Tarracone, Anno. VI. Theodorici regis, M  
consulatu Petri, sub die octauo Idus Nouembris. Antiquorum patrum statu-  
ta de his censuisse videntur, quæ in tempore, aut ad illos relicta peruene-  
nerunt, aut acta certe testimonio proprio comprobauerunt, cuius rei &  
nos sequentes exemplum, illa quæ non sunt placuit obseruanda decernere,  
aut p̄terita absq; ambage custodiantur, & p̄sentia hac obseruatione sint

S firma